

*Cantrala.*

& secun. q̄ extra sub radice primaria scribe, qdlibet sub suo genere, scilicet signa sub signis, gradus sub gradibus, minuta sub minutis, & secun. sub secundis, quibus additis cum radice primaria, resultabit radix medi⁹ motus talis planetæ. Sin autem numerum annorum propositorum non præcisæ inuenieris in tabula, intra cum numero minore propinquiori in tabula reperto, & sig. gra. mi. & secund. indirecto inuenta, nota extra sub radice secundum ordinem quodlibet sub suo simili. Deinde cum residuo numero annorum, uel propinquiori, si residuum præcise non inuenieris in trabis eandem tabulam, & signa gra. mi. & secun. extra nota sub alijs prius scriptis, hoc factotiens intrando tabulam tam annorum collectorum quam expansorum, quo usq̄ totus numerus annorum perfectorum absolutus fuerit. Quibus rite peractis, adde omnia simul, similibus similia. & à subtilioribus inchoandus est additionis labor &c. Quo facto prodibit tibi radix medi⁹ motus ad annum propositum.

### Tabulas mediorum motuum corrigere. Prop. xxxxi

**S**cias motum planetæ æqualem unius horæ, si tabulam horarum corrigere uis, & est numerus primus in parte superiore tabellæ horarum positus. Cum ergo dubitas de numero alicuius lineæ, considerabis numeros lineæ immediatæ præcedentes, eas extra scribendo, cui motum unius horæ subscribendo adde, nam numerus proueniens, erit numerus illius lineæ de qua dubitas. Et si dices, quid faciam de ueritate primæ lineæ si dubitem de ea. Accipe lineam quamcunq; in tabella & scribe eam extra, postea accipe lineam præcedentem immediate, quam huic subscribe subtrahendo eam à superiori, factaq; subtractione, remanebit motus unus horæ scilicet linea prima tabellæ. Si igitur concordant, bene est, si uero discordant, accipe iterum in alia parte tabellæ duas lineas immediatas & subtrahe unā ab alia, & uide concordantiā, donec fueris certificatus de motu horæ, q; non est uerisimile quod tabella in pluribus locis sit deprauata aut falsa. Et cum certificatus fueris, poteris per dictum modum totam tabellam corrigere. Idem sume iudicium de correctione dierum & mensium. Primus enim dies motū unius diei pandit, per quē cuiuscūq; diei motum de quo ambigis secundam doctrinam iam expositam facile corriges. Tabulæ autem æquationum planetarum de facili corrigi non possunt, nisi de nouo æquationes eorum per magisteria subtilia geometrica demōstrentur. Superficialiter tamē, si de aliqua linea æquationū dubitaueris. Accipe duas lineas, ei de qua dubitas, præcedentem scilicet & sequentem proximas, & eas simul iunge, & productum media, & proueniet linea media, scilicet de qua dubitasti uel quasi.

Habito